



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici  
Semestria duo**

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1675**

Cap. XXVI. Ad cap. 30. h.t.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10224**

## C A P . XXVI.

Ad cap. 30. h.t.

## S U M M A R I A.

- |                                  |                             |
|----------------------------------|-----------------------------|
| 1. Legionensis, Leodiensis, cor- | 5. S. Quintini urbs.        |
| rupè.                            | 6. Vermand Abbey.           |
| 2. Abbatia S. Projecti.          | 7. Raymundus refellitur.    |
| 3. Duo Projecti.                 | 8. Tornacensis Episcopatus. |
| 4. S. Prix.                      | 9. Species cap.             |

*Legionen-  
sis, Leodiens-  
sis, corru-  
ptè.**Abbatia S.  
Projecti.**Duo Proje-  
cti.**S. Prix.**S. Quintini  
urbs.**Vermand  
Abbey.**Raymundus  
refellitur.**Tornacensis  
Episcopatus.**Species cap.*

**N**escio unde Legionensis atq; etiam Leodiensis Archiepiscopus irrepserit. In compilatione quinta ita habet: *Abbatia & Priori S. Projecti & L. de villa Wade Canonico S. Quintini Noviomensis.* Ecce alia omnia quām quæ Raymundus. Abbatia S. Projecti, Ordinis S. Benedicti, Noviomensis diœcesis, in suburbio S. Quintini. Duo reperiuntur S. Projecti, unus martyr cum S. Tyrso, in martyrologio Romano: Alter Episcopus Arvernensis & martyr, apud Usuardum. Vide Sigebertum ad annum 670, vulgo S. Prix. Sancti Quintini fanum, præcipua olim Veromanuorum Comitum sedes, ejusdem diœceseos Noviomensis. Josepho Scaligero videtur esse Augusta Veromanorum ista Quintinopolis, sed nihil urbis hujus Augusta restat. Nam & sedes Episcopalis translata Novionum à S. Medardo Episcopo XIV. Noviomensi. Tantum cœnobium & Abbatia Ordinis Præmonstratensis inter Peronam & S. Quintini fanum superstet & retinet nomen, *Vermand Abbey.* Vide Miræum in Notitiâ Episcopatum. Clericus, de quo in hoc capitulo, apud Raymundum dicitur Callimachus. Sed in compilatione 5. Revardus appellatur. Raymundus Archiepiscopum Tornacensem in scenam producit, qui nullus est. Non enim Tornacum Archiepiscopatus est, sed Episcopatus suffraganeus Remensis. Imò olim Tornacensis cum unitum fuit Noviomensi anno 528. sub Medardo, usque ad annum 1146. quo procurante S. Bernardo proprius ei datus fuit Episcopus, sexaginta annis ante Honorium. Vide supra cap. nostrum 14. h̄is Eclogæ. Species capituli hæc est: Rævardus clericus Noviomensis pro præbendâ obtinendâ in Ecclesia S. Crucis Cameracensi

racensi literas monitorias ac præceptorias ad Capitulum Cameracense impetrat. *B. Clericus*, est Balduinus, clericus Tornacensis, contra exsecutoriales impetravit ad J. quod est, *Jacobum Archidiaconum Tornacensem*, ejusque con-Canonicos, nulla factâ mentione literarum quas Rævardus obtinuerat. Canonici Cameracenses noluerunt parere mandato. Igitur Jacobus suspensionis sententiam in eos tulerat. Inde Rævardus pariter exsecutorias ab Honorio impetravit ad Scholasticum S. Quintini & conjudices, qui quidem etiam sententiam excommunicationis in eodem Cameracenses Canonicos tulerunt. Canonici ad Pontificem confugiunt, allegantes non plus duodecim præbendas esse in capitulo, ex statutis jurejurando confirmatis, & ita non posse Rævardum & Balduinum, præbendam obtainere. Decidit Honorius, ei tantum præbendam assignandam fore, qui prius mandatum reportarit, sublatâ sententiâ excommunicationis.

Finis Eclogæ II.

---

## Amœnitatum Juris Canonici

### ECLOGA TERTIA.

#### CAPUT PRIMUM

Ad cap. 33. de Rescript.

#### S U M M A R I A.

1. *Sylvanectum urbs Episcopalis*, 2. *Abbas Carilocii*.  
sub A. Remensi. 3. *Ubi ejus mentio..*

**G**regorius IX. rescribit Episcopo Sylvanectensi, Silvanectū, cūm vulgo *Senlis*, urbs Episcopalis sub Archiepiscopatu urbs Episcopatus Remensi, decimo lapide à Lutetiâ Parisiorum. Subsunt palis, sub A. Archiepiscopatui huic octo sequentes suffraganei: Remensi.

1. Lau-